N. 838.

CURRENDA III.

A. D. 1858.

N. 607.

Jus ecclesiasticum Catholicorum.

A Clariss: Josepho Porubszky, Archi-Diœc. Agriensis Presbytero AA. LL. Phil. et SS. Canon. Dre, Professore, matrim. Defensore &c. &c. in 2. editione luci publicae debitur. Auctor praelaudatus opus ita concinnare studuit, ut illius textus pro usu sholastico; notationes vero, quae minutioribus litteris perquam magno numero in eo occurrunt, pro uberiori privata lectione deserviant; asserta sua omnia canonibus, S. C. Concilii Trid. Interpretum, Episcoporum et Rituum decretis muniret, novellas leges civiles, quae ad Ecclesiam attinent, omnes congruis locis memoraret, omnemque adhiberet operam, ut in compendio completam Juris Canonici exhiberet doctrinam.

Praenumerationale pretium amborum Tomorum, qui in octavo majore plus quam *50 phyleras* efficient, est *quatuor* fl. C. M., ita persolvendum, ut praevie pro Tomo primo 2 fl., recepto vero primo Tomo alii 2 fl. solvantur. Praenumeraturi aut ad Cancellariam Nostram, aut ad vicinos Bibliopolas, qui huic negotio manus daturi sunt, convertere se poterunt, per 2 Rh. C. M. immitendo aut deponendo.

Nr. 684.

Litterae sepulturae subditorum Badensium in terris Imperii Austriaci demortuorum ex officio exarandae ac legalisatae horsum pro ulteriori promotione expediendae etc.

Vigore intimationis Exc. c. r. Provincialis Regiminis Cracov. de 14. Feb. a. c. N. 1156 Imperium Austriacum inter ac Magnum Ducatum Badensem inita est conventio, quatenus testimonia sepulturae reciproce *gratis* ederentur, prout id in Cur. X. a. e. sub N. 2626 pro subditis Hassiae Electoralis statutum legitur.

Ven. Clerus tenori Conventionis hujus conformiter provocatur, testimonium obitus subditi Badensis in parochia resp. demortui *gratis* exarare, ac exaratum et legalisatum ad Nos promovere.

E Consistorio Episcopali. Tarnoviæ die 25. Februarii 1858.

Nr. 744.

Grates rependuntur pro donis in favorem devastatae Mogunciae.

Exc. C. R. Provinc. Præsidium Cracov. Litteris de 24. Feb. a. c. N. 686 ad Nos

datis intimas gratias pro quotis ad sublevandos Mogunciae incolas, qui tantum damni ob turris pulveris pyrii explosionem sunt passi, collectis exprimit cum adjecto, quod dona haec sub uno in plagellis publicis collaudantur. Quotae illae hucusq. sunt sequentes: a) E Decanatu Bobov. 9 Rh. 42 xr. b) E D. Brest. 3 Rh. c) E D. Czchov. 9 Rh. 21 xr. d) E D. Scavin. 5 Rh. e) E D. Tarnov. 5 Rh. 30 xr. et ex urbe 12 Rh. 20 xr. item 2 thal. a Rss. P. P. f) E D. Wadovic. 23 Rh. 37 ½ xr. g) E D. Wojnic. 8 Rh. h) Żywiec 23 Rh. 30 xr dein 7 Rh. 30 xr. et separatim a V. Par. Radziech. 9 Rh. 30 xr.

Etiam Nos resp. Largitoribus grates rependimus maximas, salutem ac benedictionem largimur apprecantes, ut eorum domicilia securitate divina nunquam non fruantur, nec non quotae e Decanatibus reliquis mox appellant.

Altare privilegiatum.

Altare *privilegiatum* est illud, in quo SS. Pappa aut Ordinarius loci, (hic vigore nimirum facultatum pontificiarum) concedit indulgentiam plenariam pro mortuis liberandis per modum suffragii, mediante celebratione Missae in eodem Altari. Hæc definitio clarior redditur contextu Brevis Benedicti XIII. de 20. Jul. 1724 „Omnium saluti paterna charitate intenti, sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animæ D. N. J. Xti ejusq. Sanctorum suffragia meritorum consequi et illis adjutæ ex purgatorii pœnis ad æternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur .... altare privilegiatum quotidianum..... hoc speciali dono illustrare, auctoritate nobis a Domino tradita ac de omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Ejus auctoritate, ut quandocunque sacerdos aliquis.... Missam defunctorum pro anima cujuscunq. christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Esiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut Ejusdem Domini nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii pœnis liberetur, concedimus“.... Quoniam vero Missam defunctorum seu de Requiem raro, nam diebus tantum festi simplicis, aut ferialibus &c. celebrare licet, quorum numerus nunc nimis exiguus, Innocentius XI. Constitutionem de 4. Maji 1688 favorabiliorem, ne festorum duplicium occursu aliorumque dierum impeditorum interventu animæ a suffragiis indulgentialibus retardentur, emittere dignatus est, videlicet, ut quæcunque Missa sive de Requiem sive de festo coram Altari privilegiato absoluta fuerit, animæ in purgatorio, pro qua applicatur, indulgentiam plenariam conciliaret. Uberiora desuper continentur in opere Clariss. Probst: Verwaltung der hochheiligen Eucharistie 210-219. Conf. pag. 187 *Manualis Rituum* Christ. Hœflinger ex A. 1856, in quo haec quoq. sub eadem pagina notantur: „Non igorandum est, unius sacrificii Missae privilegiatæ fructum, seu suffragium applicari non posse pro pluribus, sed tantum pro uno vel pro una; cum enim ad instar se habeat indulgentiarum plenissimarum animabus purgatorii per modum suffragii applicabilium, quae inter plures partiri nequeunt, decipiuntur admodum fideles,

qui fructum aut unius Missae privilegiatae, aut unius indulgentiae per modum suffragii pluribus applicant purgantibus; suam profecto amittet plenitudinem indulgentia plenaria in plurium distributione, nec suum servare potest privilegium Missa, quae pro pluribus applicetur, nisi privilegium esset indultum ad plures etiam animas a purgatorii pœnis uno sacrificio simul liberandas, de quo exemplum non habemus"

E præmissis Venerabiles in Xto Fratres agnoscent summum thesaurum, qui ex Altari privilegiato in animas parentum, consanguineorum, benefactorum, confratrum, parochianorum, amicorum, et commendatorum redundare potest. Talem thesaurum sibi quisq. expetere potest ecclesiae Rector, pro uno suæ ecclesiæ Altari, e. g. Crucifixi, aut Beatissimae, aut Patroni Sanctique insignis, quod designandum foret, apud Nos Ordinarium loci, qui trutinatis Libelli supplicis momentis, vigore facultatum Sibi a Sede Romana concessarum, peramanter privilegium tanti momenti, ut quo plures indies animæ e tormentis purgatorii per angelos in paradisum deducantur, extradituri sumus. Properate igitur ad Nos et liberate sensim sensimq. plurimos eorum, quorum quisque visione Dei beantis orbatus ac tormentis afflictus expansis manibus lachrimabilem ad nos vocem Jobi patientis dirigere censetur quotidie: *Miseremini, miseremini saltem vos amici mei, quia manus Dni tetigit me. Job. XIX. 21.*

Casus liturgici.

I. Parochus quidam in Sabbato S. et in vigilia Pentecostes ipse quidem benedicit fontem baptismalem, curat autem Missam celebrari per Cooperatorem. Quaeritur, num rite? Resp. negative; fontis enim benedictio peragenda est per celebrantem. S. R. C. 1. Sept. 1838. prout aspersio die Dom. juxta Rub. Miss. Ritual. et Decreta S. R. C. de 27. Nov. 1632 et 12. Nov. 1831.

II. Quæsitum fuit, quomodo benedictio fontis baptismalis in Sabbato s. fieri debeat, si olea ss. recenter consecrata nondum advenerint. Alii contendebant, aquam esse benedicendam et huic postea privatim et separatim immiscenda nova olea cum advenerint; alii e contra, benedictionem fontis fieri debere cum oleis præcedentis anni, attamen simul ac nova olea advenerint, cum his iterum aliam benedicendam esse aquam et prius benedictam in sacrarium fundendam. Quaeritur, utri assertioni sit inhærendum? Resp. neutri; nam casus iste a S. R. C. sub die 23. Sept. 1837 sequenti modo est decisus: Benedictionem fontis fieri debere cum oleis ss. praecedentis anni et aquam conservari et adhiberi usque ad benedictionem in vigilia Pentecostes.

III. Quamdiu veteribus oleis sacris uti licet? Juxta Rubricam Ritualis Provincialis, *„Parochus veteribus oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur; et si deficere videantur, et Chrisma aut Oleum benedictum haberi nos possit, aliud oleum de olivis non benedictum adjiciatur; sed in minori quantitate."*

IV. Olea ss. vetera &c. quando comburantur et quomodo? Quamprimum recepta fuerint nova, vetera comburantur, et quidem fluida in lampadem coram SS. Sacramento ardentem fundantur, juxta Gavant. et Pontificale Romanum; reliqua vero in bombacio e vasculis minoribus super

sacrario in ecclesia comburantur, ut alii præscribunt, et communiter fieri solet. Vascula bombice ex oleo s. vetere rite extergenda et majora præterea aqua bulliente intus prævie abluenda, bombycem super sacrario comburendam, aquam vero in illud effundendam esse, per se intelligitur.

Penes hanc occasionem commemoramus, globulos illos bombycis aut stupae (paczesi) quibus loca infirmi oleo s. inuncta terguntur, non in domo infirmi, sed in ecclesia etiam comburendos esse modo simili juxta Rubricam Ritualis Provin. „*Minister vero, si est in sacris vel ipsemet Sacerdos, post quamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacii* (bawełny) *vel rei similis, eaq. in* vase mundo *reponat et ad ecclesiam postea deferat, comburat, cineresq. projiciat in sacrarium.* Eodem modo procedendum esse cum gossypio, quo loca baptisati inunguntur, ubunde constat.

V. Quibus in vasis olea sacra asserventur? In majoribus et minoribus, ut habet Rituale Provincial. In majoribus. „*Chrisma et Oleum sacrum, sint in suis vasis* argenteis, *aut saltem* stanneis *bene obtura'is;* (ergo non in vitreis ob periculum fractionis et sacrilegæ effusionis) *quae vascula sint inter se distincta et propriam unumquodque inscriptionem habeat* majusculis litteris *incisam; ne quis error committatur.*“ „*Inscriptiones*“ juxta Gavant. *fiant hoc modo saltem in vasis: CHR. CATH. INFIR.* aut ceu alii volunt: *S.C. O.C. O.I.*

In minoribus: „*Ad usum vero quotidianum minora habeantur vascula; ex argento, si fieri potest, aut stanno; sive separata sive etiam conjuncta: apte tamen distincta et bene cooperta et cum suis inscriptionibus, ut supra, ne Parochus aberret, et unum pro altero sumat; quod cavere debet diligenter.*

„*In ea igitur ex majoribus vasculis, Chrismatis et Olei, quod sufficiat, infundatur; atque ut effusionis periculum caveatur, commodum erit in his vasculis* bombacium, *seu quid simile habere, Oleo sacro et Chrismate separatim perfusum, in qua pollex, cum opus est, ad inungendum immitatur.*“

VI. Utrum vascula utriusq. generis indigeant capsulis seu thecis?

Gavant. talia citat de majoribus: „*Ad sacra olea accipienda*“ puta in Coena Dni, „*mittantur tres phialae stanneæ intra* capsulam, *ita clausæ, ut minister solus Cathedralis eam aperire possit, nullus alius in via. Capsula corio sit tecta, vel certe sit lignea. Thecae vasorum (minorum) sint ex corio et intus ornatæ serico rubro.*“

VII. Quo in loco vasa et vascula hæc cum oleis ss. asservanda?

Rituale Provinc. desuper hæc ordinat: „*Hæc vascula ita parata, in loco proprio, honesto, ac mundo, sub clave, ac tuta custodia decenter asserventur; ne ab aliquo, nisi* a sacerdote *temere tangantur, aut eis sacrilege quispiam abuti possit.*“

Gavant. adducit hæc: „*Asserventur olea in* ecclesia *tantum; nisi quibus concesserit Episcopus, oleum infirmorum tenere domi* (in vasculo minori) *ob distantiam domicilii. Et eo casu domi in fenestella* (framudze) *locetur, panno serico vestita intus et sub clave. Claves oleorum semper sint apud Rectorem ecclesiae, nec Clerico committantur.*“

VIII. Olea ss. per quales deferenda? Si aperiamus Rubricas Ritualis nostri toties citati de *oleis ss.* ante *Ordinem Baptismi* adductas, hæc reperimus: *„Parochus quantum fieri potest, curet, ne per* l a i c o s, *sed per se, vel per alium sacerdotem, vel saltem per alium ecclesiae ministrum, haec olea deferantur.“* Historia eccles. porro docet, primæva ætate Parochis solummodo licuisse olea sacra in sede eppali accipere et ad ecclesism suam deferre vel devehere. Nunc autem ob distantiam sæpe magnam aut functiones parochiales e. g. Confessiones excipiendas, aut decantationem Officii tenebrarum, Horarum in Ecclesia majore Hebdomade ad augendam suam populiq. pietatem... haud intermittendam, ubi id opportune fieri potest, Perillustres Decani laicum, virum pium, sobrium, honestumq. Tarnoviam pro oleis delegant, eidemq. inculcant, ut in via sacramentalia tanta venerando preces fundat, hymnosq. pios decantet; nec audeat, cum sociis nefors itineris confabulari aut popinas ingredi . . . et rursus Ven. Parochi ad locum Perill. Decani sui mittunt virum ejusmodi pro oleis ss. cum eadem inculcatione.

IX. Ubi olea ss. recipienda et qua solennitate distribuenda?

Tam Perill. Decani, quam Ven. Parochi pientiores virum cum oleis redeuntem recipiunt aut in ecclesia, aut in sacristia, ad locum, ubi recondenda et diffundenda aut distribuenda sunt, non in domo parochiali, vigore supra adductorum, et ob reverentiam tantis Sacramentalibus debitam, in quorum consecratione tanta solennitas ohtinebat, et in quorum usu tam præclara symbola reconduntur; aut tam efficax desuper gratia distribuitur; nec non eadem reverenter in fenestella aut scrinio collocant. Decani devoti quoties emisso latori parochiali olea ss. distributuri sunt, candellas accendi curant, et ipsimet superpelliceo et stola alba induti, maxima cum reverentia accedunt ad vascula, ac decentissime diffundunt, nuntiumq. in pace dimittentes, ad remeationem piam energice reflectunt. Mos ejusmodi pius ubiq. ut servetur, hisce in Domino obtestamur cunctos respectivos.

X. Extincto Romano Imperio quæritur, utrum in Parasceve post Passionem in Monitione IV. et oratione subsequa memorato Imperio adaptata mutatio et applicatio fieri possit ad Imperium regionis, in qua degimus.... S. Rit. Congregatio sub 31. Aug. 1839 decidit: nullam in monitione: *Oremus et pro Christianissimo Imperatore...* mutationem suscipiendam esse; verum serius sub 7. Dec. 1844 et 7. Jun. 1845 pro Regno Belgico, ubi Rex sequitur castra acatholicorum. &c. statuit, Monitionem ipsam una cum Oratione *pro Romano Imperio* omittendam esse.

Verum Episcopatus Austriae altior gravibus nixus rationibus, donec a Sede Romana separata pro Imperio Austriaco decisio appulerit, censet, Monitionem attactam una cum Oratione subsequente retinendam, nomen Imperantis exprimendum, et vocabulo R o m a n u m in Oratione A u s t r i a c u m surrogandum esse.

XI. Post monitionem pro Judæis omittitur *Oremus*, quid in eo mysterii?

Gavant. Part. IV. Tit. IX. n. 10. reponit: quia oratur pro iis *utcumque*, non salvandis, nisi in fine mundi. *Durand.* loco cit. c. 77.

XII. Quare in monitione pro Judæis non dicitur: *Flectamus genua &c.?*

Gavant. l. c. scribit: Item non flectuntur genua.... quia ii (Judæi) genibus flexis illuserunt Christo......

XIII. Discooperit Celebrans post Orationes crucem ad verba: *Ecce lignum Crucis* primo a summitate *parum*, in posteriori parte anguli cornu Epistolæ, dein ad anteriorem partem.... brachium dextrum crucis, elevans eam paulisper, demum in medio altaris discooperit totaliter, quid his significatur?

Ad hæc legimus in Gavant. l. c. n. 11. „*Discooperit.* Velum aufertur a Cruce, ut, quód Judæis tectum erat, nobis reveletur, *Rupert Lib. 6. C. 20.* Item, quia nudatur Christus in Cruce, *Duran. l. c.* ubi docet, ter discooperi Crucem, quia paulatim prædicatus est Xtus xfixus, primo iu angulo Judæorum, postea palam, deinde aute medium Altaris i.e. medio gentium.“

XIV. Elevatur Crux, portatur ad locum ante altare præparatum et fit prostratio, adoratio; quid hæc cæremonia?

Gavant. loc. c. sub l. observat: „*Elevatur Crux ter* ad honorem, contra tres illusiones Christi, in *atrio* Principis, in *praetorio*, in *Calvario*; fit *prostratio* non tamen usq. ad terram, sed *genibus flexis*, et capite valde *demisso*. Salutatur et adoratur *ter*, cum genuflexione, et tertia vice prosternimur, ut eam osculemur, ut nimirum Xtum xfixum omni humilitate veneremur, et easdem tres illusiones compensemus, *Duran. ibidem.*

»Wir sehen hier deutlich dargestellt die allmählige Offenbarung des Kreuzesopfers in ihrer dreifachen Periode. Im alten Bunde war die Offenbarung noch nicht deutlich. Daher heißt es: *A summitate parumper discooperit.* Auf Golgotha ward das Opfer gefeiert, doch wenige nur erkannten es, aber das Kreuz wurde aufgepflazt mitten in der Kirche, damit alle Völker es schauten; und Licht und Gnade ging aus und gehet aus von ihm in alle Welt. Und so nimmt die Kirche am Charfreitag gleichsam stets neuerdings das Kreuz vom Kalwarienberg, um es hinauszutragen in alle Länder, um allen es zu zeigen, um dringender und dringender alle zur Theilnahme an dem Kreuzesopfer zu ruffen. Der Priester trägt das entblößte Kreuz an den vor dem Altare bereiteteu Ort und legt es kniend nieder. Er ziehet dann die Schuhe aus, um es zu adoriren und kniet sich dreimal nieder und betet, ehe er es küsset. In Demuth werden nur die Füsse des Bildes des Gekreuzigten geküßt.... Siehe da! Alle nahen dem heiligen Kreuze dreimahl anbetend das Geheimniß unserer Erlösung in heiliger Ehrfurcht, nnd auf jene herzzerreißenden Liebesvorwürfe des Herrn vom Kreuze nichts antwortend, nur seufzend in Wehmuth und Demuth: Heiliger Gott, Heiliger Starker Gott, Heiliger Unsterblicher Gott, erbarme Dich unser! Endlich, wenn die Küsse der Liebe gleichsam den anklagenden Mund des Erlösers verstummen gemacht, bricht das Herz aus in jenen so zarten, erhabenen, schmerzvoll jubelnden Preisgesang auf das heilige Kreuz.« *(Crux fidelis inter omnes)* Amberger II. B. der Postoralth.

XV. Post Inventionem bacillorum phosphoricorum (zapałek) Rectores ecclesiarum nonnulli Sabbato S. eos ad excitandum ignem novum adhibent, non autem s i l i c e m, quem Missale præscribit, quæritur, num mutatio hæc licita censeri possit.

Neutiquam; Ecclesia etenim recte silicem, ceu lapidem ad denotandum Christum, qui

est *angularis lapis*, e quo *claritatis divinae ignis* emicuit, elegerat. Hanc Esiae intentionem clare exprimit Oratio 1. in benedictione ignis, utpote: *Deus, qui per Filium Tuum, angularem scilicet lapidem, claritatis Tuae ignem fidelibus contulisti: productum e silice, nostris profuturum usibus, novum hunc ignem sanctifica &c.* Qui ergo non filice ad excutiendum ignem hunc novum utuntur, sed bacillos illos adhibere non verentur, intentionem Esiæ elidunt, orationemq. ad Deum fundunt mendacio superstructam, de lapide, de silice sonantem, quamvis lapidem silicemve non usurpaverint, e silice ignem non excusserint. Insistendum itaq. est Rubricæ tenori exacte.

XVI. Cereus paschalis num ex alba, an e flava cera confectus sit oportet?

Communis Rubricistarum sententia et nominatim Ruperti de Deutz in lib. VI. C. 28. est pro cera alba, ad indicandam nimirum purissimam Xti humanitatem, quæ formata est sine macula in virgineo Beatissimæ utero.

XVII. Cereus paschalis qualis ad benedicendum adhiberi potest, utrum integer novus vel refectus (nadstawiony) an plane non refectus?

Quoniam *cereus*, ut verbis utamur Gavanti in Part IV. Tit. X. „8. *significat Xtum resurgentem et quidem cera corpus, elychnium* (Docht, *Knot*) *animam, lumen deitatem designat, ex Durand. loc. cit. Cap. 80. antequam vero illuminetur, repraesentat columnam nubis, illuminatus autem columnam ignis, quae praecedit Catechumenos hodie* (*Sabbato*) *transeuntes per mare Baptismi, idem Durand. ibidem*;“ haud indubium redditur, eum oportere esse aut novum semper, ut Xtum integerrimum, totum redivivum non consumptum, non detruncatum, condigne repræsentare valeat ad festa paschalia.

Conformiter Quarti tract. 2. de ss. benedictionibus lit. 2. dubit. 2. quem adducit Merati Par. III. Tit. X. n. XXVII. circa benedictionem Cerei animadvertendum est, quod cereus anni præteriti quoad majorem sui partem consumptus ac quoad majorem partem sequenti anno iterum refectus licite anno sequenti iterum benedici possit, siquidem per additionem majoris partis de novo, perditur benedictio prior et sic non benedictus atque absolute novus cereus juxta rubrum Missalis benedicitur. Contra vero dicendum est, si Cereus anni præteriti quoad minorem partem fuisset duntaxat refectus, tunc profecto anno sequenti iterum benedici saltem sine peccato veniali non posset. Ad haec adjicit Merati loc. cit. „Pessime igitur faciunt ii, adeoq. non imitandi, qui absq. ulla caerei refectione (ut fit in multis ecclesiis) semper eundem benedicunt Cereum, donec fuerit consumptus.“ confer. Claris. Amberger.

XVIII. Quare Cereus paschalis altus sit?

Ad significandam Redemptoris resurgentis altitudinem et columnam nubis, ut ait Rupert de Deutz loc. cit. et cujus explicationi summopere Benedictus XIV. suffragatur et quod Praecl. Amberger in Tom. II. Pastoraltheologie ita reddit: Sie (die Osterkerze) ist groß „um die Größe des Auferstehenden zu bezeichnen" und hat die Form einer Säule, indem „diese Wolkensäule als Wegweiserin dem Volke, das von der Knechtschaft des Teufels befreit wurde und durch das rothe Meer der Taufe schritt, voranging, um es in das wahre

Land der Verheißung, in das Land der Lebendigen einzuführen, das wie Moses sagt, der Herr unser Gott Tag und Nacht beschützt, bald es mit den himmlischen Lehren überregnend als eine wahre Wolkensäule, bald es mit dem Feuer seines Athems entzündend als eine wahre Feuersäule. Nun kennen wir also die Geheimnisse dieser wahren Säule.« Plura similia continet Præconium: *Exultet jam angelica turba* pro benedictione Cerei.

XIX. Quare Cereus paschalis sub benedictione non cum candelula, sed cum una ex tribus candelis in arundine positis accenditur?

Ad exprimendum mysterium, quod quamvis Trinitas tota resurrectioni Xti allaboraverit, ea tamen uni Personæ Xti adscribitur. Gavant. desuper ita: „Sicut 3. illae candelae inclinantur versus Cereum, et cum una tantum ex eis accenditur; ita resurrectio Xti est effectus quidem totius Trinitatis, sed potissimum Verbi, quod animam carni rursus univit et immortalitatis gloriosa luce vestivit.“ Conf. Claris. Amberger in libro cit.

XX. Accenduntur post accensionem Cerei sub benedictione ejus, lampadesvel a Cereo ipso, vel a candellis arundinis, quid hisce significatur?

Gavant. l. c. N. 11. ex Alcuino et Ruperto adducit hæc: „Ut sicuti Cereus significat novam gratiam et doctrinam Christi; ita ab Eodem oriri demonstretur tum gratia tum doctrina Apostolorum, qui sunt lux mundi et Xtus ipse resuscitatus statim accendit in Apostolis ignem Spiritus S., quando insufflavit et dixit: *Accipite Spiritum S.* in ipso die resurectionis.

XXI. Quid 5. grana incensi Cereo in forma crucis infixa fidelibus prædicant?

Significatus eorum haud impervius. Quid grana 5. aliud denotare possent, quam 5. vulnera Xti et forma crucis quid aliud exhibet, quam Jesum Dulcissimum, crucifixum, cujus sacrificium in cruce semper odoriferum &c. &c.!?

Gavantus loco cit. n. 8. notat *„grana 5. incensi in formam crucis in eo* (Cereo) *confixa idem sonant* (Christum crucifixum) *et aperte plagas ejus quinque.“*

Dr. Amberger hunc in locum ita scribit: »Wenn das Licht der Osterkerze andeutet, daß der Auferstandene das Licht der Welt, so der Weihrauch, daß er das Leben der Welt; Licht und Weihrauch aber deuten an, daß er Licht und Leben sei, indem er sich in der Kirche zum Opfer bringt alle Tage bis zum Ende der Zeiten. Seine heiligsten 5 Wunden sind die Quelle des Lichtes und des Lebens. Von da entquillt uns Licht und Kraft, zu verlassen das Land des Todes und der Gefangenschaft, einzugehen in die Geheimnisse der Erlösung und einst mit dem Auferstandenen in die Herrlichkeit... Die 5 Weihrauchkörner werden in der Osterkerze befestiget. Die heiligen 5 Wunden des Auferstandenen sind der Opferduft, der fort und fort und den Vater wieder versöhnt und die ganze Welt belebt.

Plura de cæremoniis majoris Hebdomadis et Octavæ Paschalis in Currenda IV. 1851 relegenda et populo fideli explicanda commendantur.

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis.

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae, die 15. Mart. 1858.
PAULUS PIKULSKI, Cancellarius.

Typis Anastasii Rusinowski Tarnoviæ.